COMMENTATIO PHILOSOPHICO-LITERARIA

IN

LIBRUM QUI INTER HIPPOCRATICOS EXSTAT

ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΟΣ ʼΑΝΘΡΩΠΟΥ.

COMMENTATIO PHILOSOPHICO-LITERARIA

IN

LIBRUM QUI INTER HIPPOCRATICOS EXSTAT

ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΟΣ 'ΑΝΘΡΩΠΟΥ,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII ADRIANI BERGSMA,

MATH. MAG., PHIL. NAT. ET MED. DOCT., PROF. ORD.,

NEC NON



AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

AEMILIUS JANUS GUILIELMUS VON BAUMHAUER,

Bruxellensis.

A. D. II. M. MAJI, A. MDCCCXLIII, HORA XI ET DIMIDIA.

Trajecti ad Rhenum,
TYPIS MANDAVIT **N. van der MONDE.**
MDCCCXLIII.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Ne hujus qualiscunque dissertationis argumentum mirentur lectores, quaedam de ejus conscribendae opportunitate praemonenda haud alienum duxi. Quum a juvenili inde aetate naturae studium mihi in deliciis esset, Pater vero Carissimus continenter adhortaretur ne antiquarum literarum studium negligerem, eo lubentius illius monitis obtemperavi, quod ex earum studio discere cupiebam quid antiqui in natura investiganda profecissent; historia enim, quam verissime dixit CICERO testem temporum, lucem veritatis, nuntiam vetustatis, *ut in quaque disciplina, sic in naturae quoque studio maximi semper erit momenti.*

Quum igitur mihi summos in literis honores ambienti specimen aliquod studiorum conscribendum esset, Carissimi, eheu morte erepti, praeceptoris HEUSDII *monitorum memor, Hippocratici alicujus libri expositionem pro dissertationis argumento capere statui. Quum vero ex tanta librorum copia dubius haererem*

quemnam eligerem, adii dilectissimum praeceptorem KARSTEN, *cui* HEUSDII *provinciam mandatam esse gaudemus, quem de conscribenda dissertatione consulenti, tantum aberat ut auxilium denegaret, ut ultro mihi argumenta quaedam traderet, in quibus vires meas qualescunque periclitarer, e quibus, quoniam literarum antiquarum studio medicinae studium adjungere placuerat, illud maxime arrisit, quod Hippocratis, medicorum parentis, de natura hominis explicaret sententias, quas, quum in libro* περὶ φύσιος ἀνθρώπου, *qui inter Hippocraticos exstat, expositas invenire putabam, in hunc librum commentationem scribere mihi proposui. En igitur hujus qualiscunque speciminis conscribendi opportunitatem. Multa profecto in hocce tironis opere sunt minus accurate exposita; lector vero benevolus tribuat ea tum juvenili aetati, tum argumenti difficultati, atque eo magis veniam me accepturum confido recordans* QUINCTILIANI *dictum:* » Fructum studiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et veniae spes est, et paratus favor, et audere non dedecet: et, si quid desit operi, supplet aetas: et, si quae sint dicta juveniliter, pro indole accipiuntur."

Sed jam eo pervenit oratio quo inde ab initio tendebat, ut eos, qui de me adeo meriti sunt, pro beneficiis gratias agam. Quem vero prius compellem quam te, Pater Carissime, nam, si aliquos in his studiis progressus fecerim, hoc

Tibi imprimis me debere lubens et ex animo profiteor; semper enim egregius mihi exstitisti studiorum dux, qui, quum ipse medicinae disciplinam elegissem, cui operam navarem, mihi auctor fuisti, ne literarum studium negligerem, quippe quod omni homini decori esse judicares, CICERONIS dicti memor: » Studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent". *Pro tot igitur tantisque beneficiis grati filii debitas accipe gratias.*

Quem vero Pater in me excitavit studiorum ardorem, aluerunt Praeceptores optimi atque eruditissimi, quorum curae me commisit, quibus, pro omnibus tam publica quam nonnullorum privata etiam institutione in me collatis beneficiis, hac opportunitate pio me animo publice gratias agere posse admodum gaudeo. Doctiores sane multos habebitis discipulos, gratiorem autem neminem.

In Literis ergo qui mihi duces atque auspices obtigistis, gratias meas accipite VV. CC. VAN GOUDOEVER, Promotor aestumatissime, et KARSTEN, in Philosophia Theoretica Cl. SCHROEDER, in Chemicis atque Physicis VV. CC. DE FREMERY, VAN REES atque MULDER, in Medicis VV. CC. SUERMAN, SCHROEDER VAN DER KOLK, LONCQ, atque Doct. MULDER, in hac Academia Chirurgiae atque Artis Obstetriciae Lector eruditissime, quorum in me merita ut penitus

agnosco, ita longo extollere praeconio tam mea juventus quam vestra me vetat modestia.

Vobis autem, Sodales amicissimi, nondum valedico, nam alia adhuc studia me apud vos retinent; liceat tamen hoc loco publice profiteri quam grata Vestra amicitia mihi semper fuerit. Multi jam eorum quibuscum hoc stadium ingressus sum ad calcem pervenerunt, qui superestis ut me eadem amicitia prosequi pergatis, etiam atque etiam rogo. Hoc equidem sancte promitto me semper quidquid possum facturum, ut ea dignum me praestem!

Scripsi **TRAJECTI AD RHENUM**
m. Aprili MDCCCXLIII.

Disputationis Conspectus.



Pag.

PROOEMIUM. . . . . 1.

PARS PRIOR.

SENTENTIAE PHILOSOPHORUM QUI ANTE HIPPOCRATEM VIXERUNT, DE UNIVERSI NATURA, ET PRAECIPUE, DE NATURA HOMINIS. . . . . 3.

SECTIO PRIMA.

DE PHILOSOPHIS JONICIS.

CAPUT I.

DE JONICIS VETERIORIBUS.

§ 1. *De Thalete*. . . . . 5.
§ 2. *De Anaximandro*. . . . . 6.
§ 3. *De Anaximene*. . . . . 7.
§ 4. *De Diogene Apolloniata*. . . . . 8.

CAPUT II.

DE JONICIS RECENTIORIBUS.

§ 5. *De Heraclito*. , ... 10.
§ 6. *De Empedocle*. . . . . , ... 11.
§ 7. *De Anaxagora*. 16.
§ 8. *De Archelao*. . . . . 18.
§ 9. *De Leucippo et Democrito*. . . . . 19.

Pag.

SECTIO ALTERA.

DE PHILOSOPHIS ITALICIS.

CAPUT I.

DE PYTHAGOREIS. . . . . 23.

CAPUT II.

DE ALCMAEONE. . . . . 30.

CAPUT III.

DE ELEATICIS.

§ 1. *De Xenophane.* . . . . 33.
§ 2. *De Parmenide.* . . . . , ... 36.
§ 3. *De Zenone et Melisso* . . . . 41.

PARS ALTERA.

SECTIO PRIMA.

DOCTRINA HIPPOCRATIS ET HIPPOCRATICORUM DE NATURA UNIVERSI, ET PRAECIPUE, DE NATURA HOMINIS. 43.
§ 1. *De Hippocratis vita et studiis.* . . . . 46.
§ 2. *De doctrina Hippocratica.* . . . . 48.

SECTIO SECUNDA.

DE SCRIPTIS HIPPOCRATICIS ET LIBRO DE NATURA HOMINIS. 57.

ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΟΣ 'ΑΝΘΡΩΠΟΥ.

CAPUT I. *Hominis naturam non esse simplicem, sed compositam, demonstratur.* . . . . 72.
CAPUT II. *Quid de hominis ortu et interitu statuendum sit, exponitur.* . . . . 88.
CAPUT III. *Quid sanitas, quid morbi sint, exploratur.* 96.

Pag.

CAPUT IV. *Hominem e sanguine, pituita, bile flava et bile atra constare, demonstratur.* . . . . 102.

CAPUT V. *Quomodo diversi humores variis anni tempestatibus sese habeant, exponitur.* . . . . 116.

CAPUT VI. *Quae sit anni tempestatum in morbos actio, et quid medico faciendum sit, exponitur.* . . . . 128.



Illud ante omnia dicendum est, opiniones veterum parum exactas esse et rudes. Circa verum adhuc errabatur. Nova omnia erant primo tentantibus, post eadem illa limata sunt; et si quid inventum est, illis nihilominus referri debet acceptum. Magni animi res fuit rerum naturae latebras dimovere, nec contentum exteriori ejus conspectu introspicere et in deorum secreta descendere. Plurimum ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperiri. Cum excusatione itaque veteres audiendi sunt. Nulla res consummata est, dum incipit. Nec in hac tantum re omnium maxima atque involutissima, in qua, etiam cum multum actum erit, omnis tamen aetas quod agat, inveniet; sed in omni alio negotio longe semper a perfecto fuere principia.

Senec. *Quaest. Nat.* L. VI. C. 5.



Prooemium.

Quum ad antiquitatis aliquod monumentum, de cujus origine et auctoritate dubitetur, illustrandum necesse sit et aetatem illius explorare et doctrinae fontes, unde illud fluxerit, diligentius persequi, ego, quum mihi proposuissem in librum Hippocraticum *de Natura Hominis* inquirere, consentaneum duxi a veteriorum philosophorum, qui ante Hippocratem vixissent, placitis ordiri eaque accuratius indagare. Hac enim via existimabam fore ut sponte deducerer ad illam aetatem, qua tales doctrina fecisset progressus, quales in libro illo de Hominis Natura agnoscimus. Itaque quum hujus libri scriptor, quisquis est, tam bonae valetudinis quam morborum caussas exploret, antiquiorum de eodem argumento sententias cognoscere statui atque, ut recte apud

Platonem dicit Hippocrates: οὐδὲ περὶ σώματος ἀξίως λόγου κατανοῆσαι δυνατὸν εἶναι, ἄνευ τῆς τοῦ ὅλου φύσεως, ita illorum de humana natura opiniones intelligi non posse putabam, nisi eorundem de Universi natura placita attingerem.

Antiquissima scilicet philosophia erat admodum vaga et infinita. Versabatur in cognoscendis gentium et populorum moribus, gestis, institutis, in explorando terrarum regionumque situ, in contemplando siderum motu, in indagandis mundi principiis. In hac tamen rerum varietate unum illud praecipue tenebat philosophorum mentes, naturae contemplatio, ut rerum naturalium caussas perscrutarentur, quarum quo quaeque occultior esset, eo studiosius ejus investigabant naturam. Itaque indagarunt tum animalium, plantarum, lapidum naturam, tum universi mundi originem, primordia caussasque quibus orta essent omnia et quibus continerentur. Tum quaesiverunt quoque abditas caussas et principia e quibus nostra corpora constent; quid secunda, quid adversa valetudo sit; remedia denique, quibus corporis molestiae tolli et integritas servari aut restitui posset. „Primo ita medendi scientia sapientiae „pars habebatur, ut et morborum curatio et „rerum naturae contemplatio sub iisdem auctoribus „nata sit (¹)."

(¹) Cels. praef. L. 1.

PARS PRIOR.

SENTENTIAE PHILOSOPHORUM QUI ANTE HIPPOCRATEM VIXERUNT, DE *UNIVERSI NATURA*, ET PRAECIPUE, DE *NATURA HOMINIS.*

> Δοκεῖ δὲ ἡ φύσις καὶ ἡ οὐσία ἡ τῶν φύσει ὄντων ἐνίοις εἶναι τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ.
>
> Arist. *Metaph.* I. 2.

Omnes qui ante Hippocratem vixerunt philosophi merito *Physici* nominati sunt, quippe quorum philosophia universe *de Natura* agit; quae autem horum nonnulli de moribus philosophati sunt, perpauca et exigui admodum sunt momenti. Physicos autem illos quum vulgo in *Jonicam* et *Italicam* scholam (quarum haec tam Pythagoreos quam Eleaticos complectitur) distribuunt, nos quoque hanc divisionem tenendam duximus, quum in utraque illarum sectarum quasi expressam cernamus effigiem populorum apud quos floruere: in altera Jonum, in altera Do-

riensium ingenium eluceat. Vere igitur dixit Boeckhius [1]: „Die Philosophie eines Volkes „ist nichts Anderes, als das eigenthümliche Erkennen desselben, welches in den tiefsten und „ausgezeichnetsten Denkern sich selbst begriffen „hat, und sich klar geworden ist, während es „in den Uebrigen bewustlos wirkt und schafft."

Jonicorum philosophorum maxime proprium fuit ut in contemplanda rerum natura investigarent materiem mundi viresque, unde et per quas omnia exorta et variis deinde modis et figuris essent effecta. *Pythagorei* praecipue attenderunt rerum formam, numeros et harmoniam quibus tam singulae res quam universus mundus continerentur. *Eleatici* denique cognitionem posuerunt in re ab omni sensuum perceptione et naturae vicissitudine libera, in *ente*, quod aeternum suique semper simile, mente sola posset cognosci.

---

(1) *Philol.* p. 39.

SECTIO PRIMA.

DE PHILOSOPHIS JONICIS.

Caput I.

DE JONICIS VETERIORIBUS.



§ 1. *De Thalete.*

Jonicorum princeps fuit *Thales* Milesius, unus e septem sapientibus, ab Aristotele (¹) φιλοσο φίας τῶν ἐξ ἀρχῆς αἰτίων ἀρχηγὸς, a Strabone (²) ὁ πρῶτος φυσιολογίας ἄρξας ἐν τοῖς Ἕλλησι praedicatus. Hic Orphei et Homeri instar, qui Τῆθυν et Ὠκέανον omnibus rebus originem dedisse finxerunt, *Aquam* omnium rerum principium statuit; ex aqua igitur oriri omnia et in aquam resolvi: cujus placiti etsi rationem non explicuisse videtur, probabile tamen, illum eo argumento ductum esse, ut opinatur Aristoteles, quia omnium animalium principium sit semen, quod humidum est natura;

(¹) *Metaph.* I. 3.

(²) *Rerum Geogr.* L. XIV.

tum quia stirpes omnes humore alantur, eoque deficiente exarescant; denique quia solis et reliquorum siderum ignis totusque adeo mundus humidis vaporibus ali videatur.

Quomodo porro ex aqua Thales omnem rerum creationem deduxerit, ipse non diserte explicuit. Itaque conjectura tantum colligere possumus probabile ei visum esse, *extenuatione* (ἀραιώσει) ex aqua aërem, ex aëre ignem, *condensatione* (πυκνώσει) vicissim ex aqua terram ortam esse: ut terra sit veluti faex aquae, tenuior vero aquae pars aër, tenuissima ignis sit habenda.

Motus caussam utrum materiae innatam et inhaerentem, an a divina mente deductam crediderit, non diserte explicuisse, sed poëtice potius significasse videtur, dicens, *omnia* esse ***plena Deorum*** (πάντα πλήρη Θεῶν), quod hunc sensum videtur habere: omnia mundi corpora omnesque naturae res quasi anima et vigore divino esse praedita.

§ 2. *De Anaximandro.*

Anaximander Milesius, Thaletis auditor, rerum principium dixit *infinitum* (ἄπειρον), hoc est, naturam ingenitam et immortalem, nullis terminis circumscriptam, sed tam temporis quam spatii ratione infinitam. Hoc infinitum continebat semina omnium rerum δυνάμει, non vero ἐνεργείᾳ, sicut ovum omnes avis partes continet ita, ut

ex ovo oriri possint, non tamen reapse in eo insint. Naturam ejus, quam divinam vocavit, tenuiorem aqua, aëre crassiorem intellexit; ex qua non mutatione, sed *discretione* (διακρίσει τοῦ ἀπείρου) omnia nata esse, duabus viribus contrariis (ταῖς ἐναντιότησι), quas *calidum et frigidum* dixit, et quarum rarefactione et condensatione omnia orta esse voluit ([1]). Tali ergo modo terram, aquam, aërem, aethera, et omnia naturae corpora exstitisse credidit ([2]).

Generationem rerum fieri docuit maxime vi caloris, qui omnia alat. Principio rerum finxit naturam hunc generandi ordinem secutam esse; exstitisse primum plantas, deinde bestias, omnium postremum hominem, ita ut a minus perfecto ad perfectissimum procederet ([3]). Hinc explicandum est, quod credidisse traditur, homines principio piscibus fuisse innatos, deinde, postquam nutriti essent et se tuendi facultatem accepissent, in terram fuisse ejectos ([4]).

§ 3. *De Anaximene.*

Anaximenes Milesius, Anaximandri auditor vel

([1]) Arist. *Phys. Ausc.* I. 5. Plut. *ap. Euseb.* I. 8.

([2]) Simpl. *Phys.* fol. 6. a. Theophr. *ap. Simpl.* ibid. fol. 6. b. Arist. *Phys.* III. 4.

([3]) Plut. *de Plac. Phil.* V. 19. *ap Euseb.* Pr. Ev. I. 8.

([4]) Plut. *Sympos.* VIII. 8.

familiaris *aërem infinitum* posuit rerum principium, ex eo omnia oriri et in eum rursus resolvi. Conjunxit ergo quodammodo quae statuerant Thales et Anaximander.

Aërem autem censuit principem in mundo tenere locum, quoniam ut in homine anima, sic in rerum natura spiritus et aër omnia moveant et regant. Dixit hunc esse εὐαλλοίωτον, ad quasvis mutationes subeundas aptum [1], primusque diserte docuit, ex aëre diversa nasci elementa ἀραιώσει et πυκνώσει, idque tali exemplo declaravit. Aëris partes contractas dixit esse frigidas, diffusas vero calidas, unde fieri, ut homo ex ore emittat modo calidum spiritum, modo frigidum: frigidum, quando contractis labiis emissus aër condensetur; calidum, si aperto ore diffusus effletur [2].

§ 4. *De Diogene Apolloniata.*

Diogenes Apolloniates, Anaximenis auditor, librum scripsisse fertur περὶ φύσεως, cujus fragmenta nonnulla nobis servavit Simplicius, unde apparet illum non nova rerum principia excogitasse, sed veteriora clarius exposuisse. Principium necessario *Unum* esse oportere demonstravit eo quod contendebat, nec agere, nec pati aliquid

(1) Arist. *Metaph.* I. 3. Plut. *de Plac. Phil.* I. 3.
(2) Plut. *de Primo Frig.* C. 7.

posse, nisi omnia ex uno facta sint ([1]). Porro *aërem* dixit omnium principium, quia aër ut natura tenuissimus facillime in varias mutari queat formas, et quia animata et inanimata omnia aëre sustententur; quod luculenter apparet ex ipsius verbis: αὐτοῦ (scil. τοῦ ἀέρος) γάρ μοι τούτου δοκέει ἔθος εἶναι, καὶ ἐπὶ πᾶν ἀφῖχθαι καὶ πάντα διατιθέναι καὶ ἐν παντὶ ἐνεῖναι, καὶ ἐστὶ μηδὲ ἓν ὅτι μὴ μετέχει τούτου ([2]).

Porro aërem dixit esse calidum et frigidum, siccum et humidum, ergo πολυτρόπον, ex eoque explicuit varias omnium rerum formas. Bestias ex aëre crassiore et frigidiore, animas e calidiore exstitisse. Quadrupedes, quod proni incedant, crassiorem spiritum ducere ideoque hebetiores esse; aves vero, loca celsa habitantes, puriorem haurire aërem ideoque agiliores esse natura.

([1]) Arist. de Gen. et Corr. I, 6. Theophr. de sensu 39.
([2]) Panzerbieter fr. 6. p. 62.

Caput II.

DE JONICIS RECENTIORIBUS.

§ 5. *De Heraclito.*

Heraclitus Ephesius quamvis a nonnullis in Eleaticis numeratur, tamen propter doctrinae similitudinem in Jonicis potius censendus videtur. Hic quoque librum composuit περὶ φύσεως inscriptum, cui recentiores Μουσῶν nomen dedisse videntur, ob cujus libri obscuritatem ipse ὁ σκοτεινὸς cognominatus est. In ejus philosophia haec duo sunt placita primaria. Unum: omnia fluxu agitari perpetuo, πάντα χωρεῖν καὶ οὐδὲν μένειν (¹): unde Heracliti sectatores festive οἱ ῥέοντες vocantur a Platone (²). Alterum: universum *igne* contineri, ὁ κόσμος ἦν καὶ ἔστιν καὶ ἔσται πῦρ ἀείζωον ἁπτόμενον μέτρα καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρα (³). Utroque placito pulcerrime adumbratam videmus speciem continuae nec unquam interruptae agitationis, qua vita et natura omnium rerum totiusque mundi

(¹) Plato. Cratyl. 402. A

(²) Theaet. 131.

(³) Clemens Alex. Stromat. L. V. p. 599.

continetur. Idem vero jam ante Heraclitum docuisse Elothalem, Medicum Coum, refert Jamblichus [1]. Non autem Cous ille materiae essentiam accuratius definivit.

Ignis autem elementum, quod statuit Heraclitus, erat aeternum, omnium ἀσωματώτατον, quo intellexit candorem quendam igneum sive vaporem; unde factum est ut nonnulli putaverint, Heraclitum rerum principium statuisse animam [2]. Illius autem perpetua agitatione (τροπῇ) oriri dixit aquam, ex hac terram, ex hujus rursus conversione aquam, ex aqua ignem; quocirca duplicem et reciprocum voluit esse motum, quem dixit τὴν ὁδὸν ἄνω καὶ κάτω. Movendi principium dixit *discordiam*, ἔριδα sive πόλεμον, qui omnium rerum pater ab eo vocatur quippe quum discordia concentus et harmonia omnium partium efficiantur.

§ 6. *De Empedocle.*

Ad quamnam philosophorum familiam *Empedocles* Agrigentinus referendus sit, multum disceptatum est, quippe qui adolescens cum Pythagoreis, dein cum Eleaticis, tandem cum Jonicis versatus, ex illorum omnium doctrina quaedam delibaverit. Ac nulli quidem sectae Empedoclem se addixisse, neque vero ex aliena tantum doctrina sapuisse,

---

[1] *Vit. Pyth.* 34.

[2] Arist. *de Anima.* I. 2.

sed sapientiam suam ex augustioribus fontibus, ex ipsa scilicet natura, hausisse merito statui potest. Quum tamen, uti videbimus, Empedoclis physica multis in partibus Jonicorum doctrinam referant, tuto eum inter Jonicos collocari posse duximus.

Quemadmodum ipse ingenio erat ποιητικὸς, sic quoque ejus physica multa continet poëtica. Praeter alia scripsit carmen περὶ φύσεως, quod complectitur tam physica, quam metaphysica, sive tam occultarum rerum quam adspectabilium explicationem. In tres libros divisum fuisse hoc carmen refert Suidas ([1]), quorum *primus* naturae elementa, vires motusque, universi fabricationem et rerum ortum exposuit: *secundus* singularum rerum et animantum, hominum praesertim, naturam et conditionem complexus est: *tertius* denique de Diis rebusque divinis egit.

Summa Empedocleae philosophiae huc redit: statuit unum et summum omnium principium, globi instar perfectum, σφαῖρον ab ipso nominatum: ex hac natura deinde quatuor exstitisse rerum elementa, *aquam*, *aërem*, *terram*, *ignem*, quae his significat versibus:

Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεὺς·
Νῆστις δακρυόεσσά τ', ἐπικρούνωμα βρότειον ([2]).

Jovem dicit ignem sive aetherem; *Junonem* aë-

([1]) Suid. s. v. Εμπεδοκλῆς.

([2]) *Emped.* vs. 55—57. edit. S. Karsten.

rem, quo spectat epitheton φερέσβιος, quia aër maxime vitam sustentat; *Aidoneus* sive *Pluto* terra dicitur, *Nestis* denique sive *Proserpina* est aqua, mortalia fonte suo humectans, quod significat Nestin esse aquarum fontem.

Quomodo vero ex uno illo quatuor exstiterint elementa, atque utrum horum natura prius fuerit, sphaera an quatuor elementa, Empedocli ipsi non clarum fuit, uti jam ab Aristotele (1) animadversum est. Illud vero constat, Empedoclem primum fuisse qui elementa haec quatuor in philosophiam induxerit, ut testatur idem (2).

Statuit porro haec elementa varie et misceri inter se et rursus dissipari, cujus duplicis actionis duas fecit caussas: τὴν φιλίαν sive Ἀφροδίτην, qua ex pluribus unum, et τὸ νεῖκος sive ἐρίδα, qua ex uno plura fierent, quod placitum sic effatur:

Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα,
Ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει (3).

φιλίαν et μῖξιν vitae, νεῖκος et διάλλαξιν mortis caussam esse voluit, quamquam proprie quidem neque ortum vitae neque interitum admisit: namque, ut dicit:

φύσις οὐδενός ἐστιν ἁπάντων
Θνητῶν, οὐδέ τις οὐλομένου θανάτοιο τελευτή,
Ἀλλὰ μόνον μῖξίς τε διάλλαξίς τε μιγέντων (4).

(1) *De Gen. et Corr.* I. 8.
(2) *Metaph.* I. 4.
(3) Vs. 94—95.
(4) Vs. 77—79.

Ad rationem dein et viam explicandam, qua elementa in se invicem agant, adhibuit tum *meatus* quosdam sive πόρους, tum *fluxus* sive ἀποῤῥοάς, quibus corpora et corporum elementa mutuo inter se commeent ([1]). Indidit tandem elementis varias et oppositas qualitates, natura ipsis inhaerentes, ut calidum frigidum, aridum humidum, molle durum, leve grave, nigrum album, dulce acerbum, alia. Igni tribuit calidum et album sive candidum: aquae nigrum et frigidum: terrae durum et grave: aëri, ut videtur, leve et molle. Qualitatum vero harum, quamquam eas non admodum accurate descripsit, praecipuas retulisse videtur ad paria haecce: *siccum humidum*, *calidum frigidum* ([2]).

Hac ratione e quatuor illis principiis mundi ortum explicuit: finxit varias et diversas elementorum partes inter se fuisse confusas; dein similia appetivisse similia (τὸ ὅμοιον ἐφίεσθαι τοῦ ὁμοίου), eoque pacto exstitisse primarias mundi partes et corpora e quibus dein res cunctas esse generatas; ex terra, igne, aqua et aëre ortas esse primum plantas, tum animalia, tandem homines; et initio quidem simulacra quaedam hominum prodiisse, omnes ejusdem sexûs, postea demum diversum sexum casu exstitisse ([3]). De humana natura et corporis fabrica haec praecipue memoranda. Carnes e terrae, ignis, aquae et aëris aequalibus

([1]) S. Karsten: *Emped.* p. 396.

([2]) *Id.* l. l. p. 340.

([3]) *Id.* l. l. p. 443.

portionibus censuit esse conflatas, ex his sanguinem generari caeterasque carnis provenire partes. Tendines praeter pares ignis et terrae portiones duplam aquae continere eosque expositos aëri, igneis exhalantibus particulis, obdurescere, quo pacto hominum ungues et bestiarum ungulas formari. Sudorem denique et lacrimas mixtis inter se quatuor ignis terraeque partibus, una aquae et aëris constare ([1]). Ossa contra binis terrae et aquae, quatuor ignis partibus ([2]). Hae autem elementorum portiones si in aliqua corporis parte minuantur, turbato ordine qui inter ipsas naturae lege constitutus erat, omnia quasi naturae instinctu duci atque cogi, ut perditas illas quocunque modo moleculas reparent: hinc ciborum appetitum esse derivandum: horum vero partes similes valere ad alendas partes similes corporis.

Voluptatem porro oriri, si res nos moveant naturae nostrae convenientes: dolorem vero afferre, res naturae contrarias, quibus corporum concentus turbetur. Mortem tandem esse totam dissipationem igneae partis elementorum, e quibus hominis compages constituta est; somnum vero modicam dissipationem: somnum ergo effici sanguinis aliqua refrigeratione, tota vero mortem; atque ut vitam et vigorem contineri censuit diversis corporis partibus et elementis Amicitia junctis apteque sociatis,

---

([1]) Plut. *de Plac. Phil.* V. 22.

([2]) S. Karsten: l. l. p. 451.

sic iisdem Discordia turbatis ac divulsis aegritudines, morbos, denique mortem pari ([1]).

§ 7. *De Anaxagora.*

Anaxagoras Clazomenius Empedocle fuit, judice Aristotele ([2]), τῇ ἡλικίᾳ πρότερος, τοῖς δὲ ἔργοις ὕστερος h. e. aetate prior, doctrina serior atque maturior, quamobrem hunc illi tribuimus locum.

Placita exposuit libro περὶ φύσεως inscripto, cujus exordium exstat. Ex Diog. Laërt. vero loco Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ. εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτα διεκόσμησε ([3]), summa Anaxagoreae doctrinae de rerum natura effici potest.

Elementa naturae secundum Anaxagoram vulgo dicuntur τὰ ὁμοιομέρη, sive ἡ ὁμοιομέρεια, quae constat partibus similibus, h. e. non *similibus inter se*, ut Cicero ([4]) dicit, sed quae sint *sui similes*, *inter se* vero *diversae.* Statuit nempe, v. c. in hominibus, nervos, ossa, carnem, cutem, pilos, ungues, non e communi elemento nata esse, sed inde ab initio singulorum particulas affuisse, atque quum cibum sumimus, cibi particulas genere varias sese conjungere cum similibus particulis nostri corporis: haec igitur elementa

---

([1]) *Id.* l. l. p. 501.
([2]) *Metaph.* I. 3.
([3]) II. 6.
([4]) *Acad.* II. 37.

jure ὁμοιομέρη dici potuere. Num vero Anaxagoras haec elementa, quae σπέρματα πάντων χρημάτων, ἔχοντα ἰδέας παντοίας καὶ χροὰς καὶ ἡδονὰς vocat, ipse ὁμοιόμερη appellaverit, an Aristoteli haec appellatio tribuenda sit, ut multi (¹) probabili ratione censent, nos in integro relinquere malumus.

Mundi ortum et habitum talem informavit: quum rerum omnium materies indigesta, informis, iners, ab aeternitate exstitisset, mundi generandi formandique initium factum est eo quod mens rudem istam molem impulsu suo agitaret. Quo facto, omnia moventur et paullatim secernuntur. Primum segregantur aër et aether; densum enim, humidum et frigidum deorsum ad terrae locum, tenue, siccum et calidum sursum ad aetheris locum moventur. Ita aethere et aëre sibi oppositis, e nubibus, hoc est, ex aëre denso, aqua, ex aqua terra secernitur, e terra lapides frigore concrescunt. Omnes igitur res e particulis quae jam aderant commiscentur rursusque dissipantur, quamobrem γίγνεσθαι proprie nihil esse nisi συμμίσγεσθαι, ἀπόλλυσθαι idem quod διακρίνεσθαι; nam ut initio mundi, ita nunc quoque omnia una sunt, nec quidquam augetur nec diminuitur. Caussam morborum acutorum, ut refert Aristoteles (²)

(¹) Schleierm., *Ueber Diog. Apoll.* p. 93. Ritter. *Gesch. d. Jon. Phil.* p. 211.

(²) *De part. anim.* IV. 2. Ed Duval p. 1020.

bili Anaxagoras tribuit, quae, quum abundet, spargatur in pulmonem et venas et costas; quod fieri posse negat Aristoteles, quia eadem fere vitia iis item accidant animalibus, quae bile carent, et quia etiam dissectis corporibus non ita esse appareat: quidquid est, hacc quae de Anaxagora refert Aristoteles, ad Pathologiae historiam magni sunt momenti, quia illius doctrinae vetustatem probant.

Physiologica Anaxagorae placita, praeter incerta quaedam quae a Censorino memorantur, paucissima tantum nobis servavit Aristoteles, ita ut, exceptis nonnullis de animalium generatione, nihil nobis supersit nisi quod paullo ante de nutritione corporis retulimus.

§ 8. *De Archelao.*

Archelaus, sive Atheniensis fuerit sive Milesius, Anaxagorae discipulus idemque, ut ferunt, Socratis magister, Laërtii testimonio (¹) primus fuit, qui Athenis philosophiam professus et φυσικὸς appellatus est.

Ejus philosophia a diversis auctoribus varie exponitur. Secundum Plutarchum (²) Archelaus, Anaximenis instar, *infinitum aërem* pro rerum principio habuit. Secundum Simplicium (³) in

(¹) II. 16.

(²) *De Plac. Phil.* I. 3.

(³) *In Phys. Arist.* p, 6 et 7.

rerum principiis Anaxagoram secutus est. Stobaeo ([1]) vero auctore, Archelaus deum dixit aërem atque mentem, non vero mentem ipsam per se ab omni contagione liberam, sicut praeclare dixerat Anaxagoras. Porro e *calore* et *refrigeratione* mundum ortum esse eundemque exustione interiturum ex Archelai sententia, idem auctor est. Dixit principio, cum terra adhuc caleret, mixtione calidi et frigidi animalia omnis generis exstitisse, cuncta promiscue eodem victu utentia, e quorum progenie deinde diversa genera tam bestiarum quam hominum exstitisse ([2]).

§ 9. *De Leucippo et Democrito.*

Uterque Abderites, prior etiam Milesius habitus, ambo sodales, ut refert Aristoteles ([3]), eandem fere amplexi sunt doctrinam. Naturae elementa innumera, aeterna, immutabilia, sive parva corpuscula, quas *atomos* vocant, statuerunt rerum universitatis principia, quae perpetuo motu per infinitum inane agitari censuere ([4]). Duo igitur statuere principia opposita: *Ens* plenum ac solidum, et *non ens* vacuum et inane: illud con-

---

([1]) *Ecl.* I. p. 56, 298 et 454 (ed. Heeren).

([2]) Diog. Laërt. V. 42.

([3]) *Metaph.* I. 4.

([4]) Arist. *de Coelo.* I. 7. Ed Duval I. p. 443.
Phys. IV. 8. I. p. 358.
Metaph. I. 4. II. p. 845.

tineri *atomis*, quas dixerunt partes individuas, non parvitate, nihil enim est tam parvum quin dividi possit, sed soliditate, quia nullo inani interceptae sint. Omnes autem qualitates retulerunt ad haec duo genera: *μέγεθος καὶ σχῆμα*, magnitudinem et formam. Formam quidem statuerunt triplicem: differre enim *ῥυσμῷ*, *figura*, *διαθιγῇ*, *ordine* et *τροπῇ*, *situ*, sicut A ab N figura, AN ab NA ordine et Z ab N situ differunt. Quae autem sint diversae atomorum figurae non descripsit, una tantum excepta, ignea, quam dixit esse rotundam, quia nihil rotundo velocius [1]; caeterum et formas atomorum et magnitudines esse infinitas; earum alias ob tenuitatem oculis percipi non posse, alias tam magnas esse, ut singulae totum mundum compleant. His autem addiderunt vacuum, quia, si omnia plena essent, putabant nullum posse esse motum, sed totum fore solidum.

Si nil esset, quod inane vacaret,
Omne foret solidum [2].

Jam variarum atomorum concretione et separatione omnia orta esse dixit, ignem, aquam, aërem, terram [3], et quae ex his gignuntur omnia, quocirca ortum rerum non esse ipsam *entis* sive atomorum mutationem, sed tantum mutationem figurae et compositionis. Ortus rerum caussam

---

(1) Arist. *de Coelo*. III. 4.
(2) Lucretius I. vs. 52.
(3) Diog. L. IX. 45.

tandem Democritus, referente Diogene Laërtio ([1]), in libro, cui titulus μικρὸς διάκοσμος, non principio cuidam superiori, sed certis legibus et necessitati tribuit, quas eam credidit habere dignitatem, ut varias corporum vires et proprietates a varia eorum figura, ordine et positione pendere statueret. Satis ex his apparet perperam nonnullos Leucippum et Democritum ad Eleaticos retulisse, quorum doctrinae plane horum atomisticorum doctrina est opposita, nam quum illi unum verum *ens* statuerent, *non ens* plane tollerent, hi et *ens* et *non ens* statuere.

De medica Democriti doctrina mirum est nihil nobis superesse, quum a Celso ([2]) una cum Pythagora et Empedocle inter sapientiae professores medendi scientiae peritissimos recenseatur.

([1]) IX. 41.

([2]) *De Med.* praef. p. 2.

SECTIO ALTERA.

DE PHILOSOPHIS ITALICIS.

Italicorum nomine etsi ab Aristotele (1) Pythagorei tantum designari solent, seriores tamen, ut Diogenes Laërtius (2), ad eosdem etiam referunt Eleaticos; et merito, quandoquidem ambae hae sectae ut patria et origine, sic etiam ingenio et voluntate sunt inter se similes, atque Doriensibus quasi cognatae, Jonicis vero philosophis oppositae. Ambae cum subtiliore rerum abstrusarum investigatione conjunxerunt sententiarum magnificentiam et vitae severitatem, tam in privatorum moribus, quam in civitatum disciplina ordinanda conspicuam. In hac tamen similitudine ambae multis partibus inter se differunt, et suam utraque veritatis indagandae naturaeque investigandae secuta est viam. Quamobrem de utriusque sectae doctrina separatim nobis agendum est.

(1) *Metaph.* I. 5.
(2) VIII.

Caput I.

DE PYTHAGOREIS.

Nulla fere antiquiorum philosophorum secta tantam celebritatem adepta est, quantam *Pythagorica* Crotonae, Magnae Graeciae urbe, condita. Cujus celebritatis caussam si quaerimus, plurimum quidem ad hanc contulit ipsius Pythagorae doctrina morumque gravitas et auctoritas, item sodalitii ab illo conditi institutio et fama, quae tam in Italia quam Graecia latissime patuit; non minus tamen inclaruerunt Pythagorei veritatis investigatione et placitis quibus naturae principia totiusque mundi fabricam et admirabilem rerum harmoniam explicare sunt conati.

Pythagoras ipse utrum scripserit necne dubitatum est; ex eo tamen, quod scripta ejus nusquam ab Aristotele memorantur, magna cum probabilitate efficere possumus, nihil scripti Pythagoram reliquisse. Ejus vero placita, sermonibus et disciplina inter sodales ejus propagata et aucta, partim fama et voce, partim sequentium Pythagoreorum scriptis explicita sunt, quorum e

fragmentis, quae hodieque feruntur, unius fere Philolai reliquiae ([1]) germanam Pythagoreae doctrinae formam et colorem referre censentur. Ex his igitur, item aliorum qui de Pythagoreis retulerunt testimoniis illorum doctrinam breviter adumbremus.

Pythagorei res naturae ἀριθμοῖς constare statuerunt, cum in his plura sibi viderentur depreheudere ὁμοιώματα et quasi simulacra corum quae sunt quaeque fiunt in rerum natura, unde tam materiae quam affectionum et qualitatum originem ad numeros retulerunt atque naturae principia e numerorum principiis explicari posse censuerunt. Sic physice eorum magnam partem numerorum ratione et principiis indagandis continetur. Numerorum igitur elementa statuerunt *monadem* et *dyadem*, quorum alterum unitatis, alterum multitudinis esse principium. Ad haec duo principia retulerunt diversas rerum formas, sive ad naturam sive ad mores pertinentes, praesertim decem illas ἐναντιότητας, finitum infinitum, par impar, dextrum sinistrum, lucem tenebras, bonum malum, reliquas. E monade et dyade reliquos porro deduxerunt numeros, quorum perfectissimum statuebant *denarium*, δεκάδα, τετρακτὺν cognominatam, qua omnium rerum harmoniam atque ipsius mundi ordinem (κόσμον) significabant. E numeris etiam

---

([1]) Vid. A. Boeckhius, *Philolaos des Pythag. lehren etc.*

corporum ortum derivabant, μονάδα habentes instar puncti, δυάδα instar lineae; ex his oriri planas figuras, e planis solidas, ex his corpora et elementa constare ([1]). Ex elementis, terra, aqua, aëre et igne, mundum, quem κόσμον appellarunt, ortum esse, eumque esse animatum, intelligendi vi praeditum, rotundum; circa mediam mundi partem esse terram, quam et ipsam globosam et rotundam censuerunt ([2]). Mundi autem conditionem talem sibi informarunt. Aequis partibus κόσμῳ inesse dicebant lucem et tenebras, calidum et frigidum, siccum et humidum; ex his calore praevalente aestatem, frigore contra hiemem effici. Quando opposita haec elementa temperie inter se aequata sint, optima anni tempora effici: horum illud quod viret veris esse tempus, salubri temperie; quod vero arescit autumnum, anni horam insalubrem. Ut annum, sic diem quoque temperie divisam esse: virere auroram, arescere vesperam, quocirca etiam hanc insalubriorem esse. Aërem eum, quo terra circumvolvitur, esse gravem, crassum ac morbidum, et quae in eo sint, mortalia esse cuncta. Superiorem vero aëris partem semper moveri et puram esse atque salubrem, quaeque in eo sint, immortalia

---

([1]) Arist. *Metaph.* I. 5. Sext. Emp. *Pyrrh. Hyp.* III. 152 sqq. X. 261 sqq. Jambl. *De vit. Pyth.* 59. Porphyr. *De vit. Pyth.* 47. Diog. Laërt. VIII. 25, 26, 27.

([2]) Diog. Laërt. VIII. 25.

atque divina [1]. Solem et lunam et reliqua sidera deos dixerunt, quoniam calor, qui vitae fons est, in illis superet; homines propter igneum vigorem et coelestem originem diis cognatos esse: hinc inter deos et homines esse naturale quoddam commercium, qui religionis fons est. Denique calorem quasi radium solis per aethera frigidum et crassum penetrare, eumque etiam profundissima petere atque omnia vita et vigore animare. Vivere enim omne quod caloris sit particeps, quare ipsae etiam plantae vivere dicuntur [2].

Haec de rerum principiis et natura universe; jam ad ipsam hominum et animantium naturam accedamus. Ex iis quae de Pythagora refert Laërtius [3] discimus, in illius de generatione placitis jam fontem reperiri fluidorum doctrinae, quam infra in libro Hippocratico, qui nobis tractandus est, de *Natura Hominis* totam expositam reperiemus. Nam, ut ille prodit, Pythagoras generationem animalium explicans, statuit, τοῦ σπέρματος προσφερομένου τῇ μήτρᾳ, ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου ἰχῶρα (pituitam) καὶ ὑγρὸν (aquam) καὶ αἷμα (sanguinem) προΐεσθαι, ex quibus carnem, nervos, ossa, pilos totumque corpus conflari: quae sententia plane convenit cum ea, quae in libro Hippocratico περὶ

---

(1) Diog. Laërt. VIII. 26.
(2) Diog. Laërt. VIII. 27.
(3) l. l. 28.

γονῆς est exposita, unde fuerunt qui hunc librum Pythagorae tribuere mallent (¹).

Quid de *anima* statuerit, hoc loco paucis exponendum, cum ejus hac de re sententia multa contineat, quae ad corporis humani structuram et oeconomiam spectent. Anima (ψυχὴ) igitur ei videbatur constare ex aethere partim calido, partim frigido, quorum alterum *ignem*, purum illum, aethereumque qui omnibus vitam motumque praebeat, sive Deum, alterum vero *aërem* vocavit: partim igitur divinae naturae consortem, partim e materie conflatam statuit animam. Alteram ejus partem esse immortalem, quia unde avulsa est, id ipsum sit immortale; alteram vero perire; illam ratione praeditam corporisque esse veluti reginam, hanc et νοῦ et θυμοῦ matrem, illius (φρενός) imperio subjectam; illam solis hominibus propriam esse, hujus vero caeteros quoque animantes esse participes (²); illam per se constare, hanc indigere nutrimento idque e sanguine sumere; illam, utpote simplicem, forma carere omni, hanc, compositam et extensam, figuram imitari corporis, et morte ab hoc solutam per aërem vagari. Totam vero animam, tam eam partem quae ratione, quam quae cupiditatibus affectibusque

(¹) Kühn. *De philosophis ante Hipp. med. cultor.* p. 252 in Ackermann. opusc. ad med. hist.

(²) Cff. Diog. L. l. c. 30 et 31. Plut. de *Plac. Phil.* IV. 4, 5, et inter recentiores imprimis Clar. G. J. Loncqii, *Diss. hist. med. de Physiol. Vet.* p. 8. Lugd. Bat. 1833.

constet, ita in corpore dispositam esse, ut θυμός occupet cor, φρένες vero et νοῦς in cerebro quasi regnent. Denique cunctas illas tres partes venarum, arteriarum et ligamentorum (¹) vinculo contineri. Praeterea ex iis qui de Pythagora retulerunt auctoribus (²) patet, eum in corporis humani structuram inquisivisse sibique comparasse cognitionem remediorum, quibus firma et integra valetudo conservari, fractaque et vitiata reparari possit, imprimis vero medicinam, quae victu curat, ab illo cultam esse. Et de sanitatis quidem ac morborum caussis quae senserit, paucis videndum.

Sanitatem variis locis varie ab eo definitam esse legimus. Nunc eam τοῦ εἴδους διαμονὴν (³), nunc ἁρμονίαν καὶ τὸ ἀγαθὸν ἅπαν καὶ τὸν θεόν (⁴) vocitando spectabat modo id quod prosperam sequi valetudinem solet, modo caussam et fundamentum, quo nixa est valetudo. Harmoniam autem intelligebat aptam quandam virium et elementorum, quae

(¹) Perperam nonnulli Diogenis Laërtii τὰ νεῦρα nervos verterunt, quum ex descriptione quam τῶν νεύρων dedit Arist. *Hist. Anim.* III. 5. manifeste pateat, per νεῦρα antiquos anatomicorum nostrorum ligamenta, nullo vero modo nervos intellexisse: eadem confusio caeteroquin haud raro in quotidiano obtinet sermone, ubi saepe caro nervosa pro tendinosa dicitur.

(²) Cels. praef. Lib. I. Diog. Laërt. VIII. 33 sqq. Porphyr. *Vit. Pythag.* 33. Jambl. *Vit. Pythag.* 64, 224.

(³) Diog. Laërt. VIII. 35.

(⁴) Ibid. 33.

in nostro corpore in sunt, temperiem, et quemadmodum in musica arte omnis pereat concinnitas et harmonia, si quis acutos et graves sonos turbet, illorumque mutuam rationem tollat, ita et concussam existimabat corruere sanitatem, necessitudine, quae inter frigidum et calidum, humidum et siccum, naturae lege obtinere debeat, sublata ([1]). Ad morborum indicia explicanda statuit immensum aëris spatium plenum esse animis, quae daemonum nomine insignes, hominibus somnia immittant, signaque morborum et sanitatis portendant ([2]). Antiquiorum igitur temporum errori affinis morbos irae deorum tribuit, quare etiam expiationes, sacrificia, lustrationes, et reliqua hujus generis ad daemonum iram leniendam idonea, satis efficacia morborum remedia ipsi visa sunt; his vero musices usum adjunxit, praesertim si tristitia ac moerore debilitati aut vehementioribus animi perturbationibus perculsi et de statu mentis dejecti erigi et sanari debeant.

([1]) Stob. *Serm.* I. Galen. *Hist. Phil.* C. 39. Ed. Chart. p. 58.

([2]) Diog. Laert. l. l. 32.

Caput II.

DE ALCMAEONE.



De hoc nihil fere nobis memoravit antiquitas; magna tamen eum auctoritate quondam fuisse, probat illud quod Aristoteles, ut refert Laërtius ([1]), librum adversus eum scripsit.

Crotoniates fuit et Pythagorae aetate suppar; placita autem sua exposuisse traditur ([2]) in libro περὶ φύσεως, in quo secundum Laërtium τὰ πλεῖστα ἰατρικὰ λέγει, ὁμῶς δὲ καὶ φυσιολογεῖ ἐνίοτε. Hujus libri fragmenta quae feruntur ([3]) de rebus philosophicis, imprimis ethicis, tum de physiologicis et astronomicis agunt.

Etsi autem, quemadmodum testatur Aristoteles ([4]), Pythagoram audivit, constare tamen vi-

([1]) V. 25.

([2]) Ab aliis, tum a Galeno. *Prooëm. in comm.* I. *in Hipp. de nat. hom. libr.*, ed. Chart. III. p. 92, ubi Empedocles, Parmenides, Melissus, Alcmaeon et Heraclitus libros *de natura* scripsisse dicuntur.

([3]) Fragmenta ista collegit M. A. Unna, *de Alcmaeone Crotoniata ejusque fragmentis, quae supersunt*, in Philol. Hist. St. a. d. A. G. in Hamb. I. p. 41. 1832.

([4]) *Metaph.* I. 5. Cf. Diog. Laërt. VIII. 83.

detur, eum Pythagorae placita neque ascivisse neque tradidisse, quod apparet e sententiis ejus nobis proditis, quae a Pythagorae disciplina multum discrepantes propriam indolem et colorem prae se ferunt. Eundem quoque constat animalium cadavera dissecuisse, quod Pythagoraeis non licitum fuisse novimus: caeterum in primis studium sapientiae cum medicinae disciplina conjunxit et duplex doctrinarum genus, philosophiam et physicen, inter se copulavit.

Aristotelis testimonio Alcmaeon humanas res distinxit in duo principia contraria, quae tamen parum accurate definivit, velut album et nigrum, dulce et amarum, bonum et malum, parvum et magnum: haec principia, ut discimus ex ejus reliquiis, bifariam distinxit, ratione *substantiarum* et *qualitatum:* substantiam statuit esse partim simplicem, aeternam, immutabilem, individuam, sua vi constantem; partim compositam, mortalem, mutabilem, et divisibilem, cui animi impulsu opus est. Ad illam refert corpus et sensum, ad hanc animam et intellectum. Sensu et intellectu constare voluit naturam humanam, solo sensu bestias valere ([1]).

Qualitatum rationem tantum e doctrina ejus de valetudine cognoscimus ([2]), secundum quam sanitatis caussam censuit esse diversarum aequabili-

([1]) Fr. 7, 8, 9.

([2]) Plut. *de Plac. Phil.* V. 30. Gal. *Hist Phil.* c. 39. Stob. *floril.* ed. Gaisford. Tit. 100. 25 et Tit. 101. 2.

tatem qualitatum, ut humidi sicci, calidi frigidi, amari dulcis, ac reliquarum. Si vero illarum qualitatum una praevaleat, morbos oriri; quos nasci dicit alios alimenti abundantia aut penuria, alios excessu calidi aut sicci, alios e sanguine aut medulla aut cerebro, alios rursus oriri e caussis externis, velut aquis aut locis, vel lassitudine, vel necessitate, vel aliis hujusmodi. In multis igitur partibus Alcmaeonis doctrina convenit cum ea quam in Hippocraticis libris expositam infra enarraturi sumus.

Caput III.

DE ELEATICIS.

§ 1. *De Xenophane.*

Xenophanes, Colophone oriundus, adolescens in Ionia degit, ubi eo tempore vigebat Ionica philosophia, auctore Anaximandro; provectiore vero aetate relicta patria venit in Italiam, ubi Pythagoram audivisse videtur; senex tandem Eleae consedit ibique conditor exstitit Eleaticae disciplinae, quae ingenio et voluntate ita cum Pythagorica disciplina concinit, ut ex hac quasi pullulasse videatur ([1]).

Praeter alia carmina, ut elegias et jambos, composuit etiam carmen *de rerum natura*, vulgo περὶ φύσεως inscribi solitum, in quo poëtice versibus hexametris tum de mundi origine et de coeli, maris, terrae natura, quae vel ipse anquisivisset vel ab aliis cognovisset, exposuit, tum praesertim de Dei natura rebusque divinis sententiam suam explicuit, e quo carmine non nisi perpauci versus ad posteritatis memoriam proditi sunt ([2]).

([1]) Cousin, *Nouv. Fragm. Phil.* p. 21. » L'école Pythagoricienne, qui renfermait le germe de l'Ecole d'Elée, et » qui peut en être considérée comme la mère."

([2]) Vid. S. Karsten, *Xenoph. Coloph. carm. reliquiae.*

Quod autem ad Xenophanis philosophiam attinet, doctrina ejus de deo rebusque divinis diligenter nobis ab Aristotele et Theophrasto, unde Simplicius hausit, exposita est ([1]); quod vero ad placita ejus de mundi origine et rerum natura attinet, qui de his retulerunt, hi jam antiquitus, ut animadvertit Sextus Empiricus ([2]), adeo inter se dissidebant, ut facile appareret multos incerta et commentitia pro veris ratisque tradidisse, de quibus quid statuendum sit, breviter videamus.

Et primum quidem animadvertendum, Xenophanem in philosophando deum a rerum natura plane segregasse: illum sibi informavit talem qui sola mente agnosci posset, aeternum, perfectum, immotum, omni fluxu et contagione liberum, cui nullum esset cum mundo rerumque natura commercium ([3]). Sic igitur utrumque illius philosophiae argumentum, alterum ad physica, alterum ad metaphysica pertinens, a se invicem sunt separata.

Quod autem ad naturae elementa attinet, Sextus Empiricus ([4]) refert, alios contendisse Xenophanem unum statuisse principium *terram*, alios duo, *terram* et *aquam*; Diogenes Laërtius ([5]) vero quatuor cum elementa statuisse refert, e qua sententiarum discrepantia apparet difficile esse quid

---

([1]) Vid. Simpl. *Comm. in Arist. Phys.* f. 6, A.
([2]) Sext. Emp. *Adv. Mathem.* X. 313, sq.
([3]) Arist. *de Xenoph. Zen. Gorg.* C. 3.
([4]) Sext. Emp. l. l.
([5]) Diog. L. IX. 19.

vere censuerit Xenophanes colligere. At Diogenis sententia eo refutatur, quod, ut antea vidimus, Aristoteles et plerique veteres testantur istius placiti Empedoclem auctorem fuisse; quae vero Sextus Empiricus illi tribuit placita ipsius Xenophanis testimonio probata, haec talia sunt ut ambo inter se conciliari et Xenophanis sententia inde elici posse videatur. Nimirum ex Aristotelis ([1]) quodam loco conjicere possumus, Xenophanem neque in naturae generandae caussam neque in rerum elementa inquisivisse; abjicienda ergo videtur ista *elementorum* notio, ut quae non a Xenophane profecta, sed a serioribus demum ei adtributa sit ([2]), et potius existimandum, Xenophanem poëtice modo terram, modo terram et mare dixisse primordia e quibus omnes res essent editae. Utrique certe praecipuum in mundo tribuit locum et Terram poëtice prorsus sibi informavit. Censuit enim illam neque sphaericam esse neque in coelo suspensam, sed suis nixam radicibus atque fundamentis, deorsum in infinitum pertinere ([3]). Mare vero omnis fontem humoris habuisse traditur ([4]). Quantum autem e Stobaeo aliisque ([5]) conjectura colligi potest, putavit terram paulatim desidentem aliquando maris illuvie obru-

([1]) Arist. *Metaph.* I. 3.

([2]) Vid. S. Karsten, l. l. p. 151.

([3]) Plutarch. *Plac. Phil.* III. 9.

([4]) Stob. *Floril.* ed. Gaisf. T. IV. p. 6.

([5]) Plut. *ap. Euseb. Praep. Ev.* I. p. 23. Origenes, *Philosop.* 99.

tum iri, eo usus argumento, quod olim hunc naturae statum fuisse e multis pateret indiciis, veluti e piscium aliarumque rerum vestigiis, quae in metallis et montibus reperirentur. Inde igitur colligebat, uti olim fuisset, sic et aliquando futurum, ut terra mari submersa in lutum verteretur, quo mundus omnis periret; dein vero ex hac submersione terram paulatim denuo eductum iri, atque ita novum mundum novumque rerum ordinem nasciturum, eamque naturae vicissitudinem fore perpetuam. Ex his satis efficitur quod modo dixi, Xenophanem in rerum natura praecipuum locum tribuisse terrae, et cum tellure conjunxisse humorem sive mare: unde diversa illa placita de elementis compilata esse probabile est.

§ 2. *De Parmenide.*

Parmenides, Elea oriundus, Eleaticae scholae facile princeps, audivit Xenophanem grandem natu adolescens ([1]), audivit et Pythagoreos; praeterea cum Heraclito, Anaxagora, Leucippo, Empedocle, aliisque versatus esse videtur. Carmen item scripsit περί φύσεως, cujus bipartitum erat argumentum, alterum de *veritate*, alterum de *opinionibus* seu *sensuum visis*, unde plura et luculenta fragmenta a Sexto Empirico et Simplicio nobis servata sunt.

Quod inceperat Xenophanes strenue Parmeni-

([1]) Aristot. *Metaph.* I. 5.

des est persecutus: non in rerum externarum elementorumque quibus haec efficiantur cognitione scientiam veritatis posuit, sed a naturae contemplatione deflexit ad *rerum divinarum* indagationem aciemque intendit in ea quae rationis judicio probarentur, notiones in mente repositas et sola mente comprehendendas: in his demum, non in externis rebus, veritatem positam existimavit. Theophrastus ex interpretatione Sepulvedae [1] summam Parmenideae sententiae ita nobis exponit: „ Parmenides statuit universum esse sempiternum, et generationem rerum tueri conatur, „ non quod similem de utroque sententiam habeat, sed *revera* universum *unum esse* ratus, „ idemque ingenitum et globosum, ad tuendam „ generationem, ex *opinione vulgi*, rerum *apparentium duo principia* facit, ignem et terram."

Ens illud describit tanquam unum, immortale, immobile, uniforme, integrum, omnibus denique numeris perfectum et rotundum. Itaque informat illud tanquam mundum intelligibilem, quem a mundo adspectabili plane disjungit, neque ullam ponit esse inter utrumque communionem: naturam vero rerum quae sensibus percipiuntur, a veritate sejunctam, opinabilem tantum dixit; nihilo secius tamen hanc non neglexit, sed et rerum elementa et mundi ortnm atque fabricam et singularum rerum naturam et caussas diligenter perscrutatus est.

---

[1] In *Alexandri Aphrod. Comment. XII. libr. de Metaph.* f. 7. A.

Generatarum rerum principia duo statuit eaque contraria, *calidum* et *frigidum*, sive *ignem* et *terram*, ut vocat Aristoteles ([1]) aliique, vel ut Plutarchus ([2]), *lucidum* et *opacum* (λαμπρὸν καὶ σκοτεινὸν); quod postremum concinit cum ipsius Parmenidis versibus, in quibus duo illa principia *lux* et *nox* appellantur, quarum alteram calidam, tenuem, levem, alteram frigidam, densam, gravem informavit; quibus, ut opinatur Clar. S. Karsten ([3]), Parmenides non proprie terram et ignem, sed aetheriam et terrenam materiem intellexisse videtur. Utrique suam et propriam tribuit naturam et actionem, utrique suas adjunxit qualitates; ambabus autem praeposuit vim moderatricem, quae contrariis conciliandis rerum generationem efficiat. Alterum ἄῤῥεν, alterum θῆλυ cognominavit ([4]). Calori sive luci *maris*, nocti *feminae* potestatem tribuere videtur, ingeniose universi generationem cum plantarum et animalium generatione comparans. Hinc jam caussam videmus, cur duo rerum principia induxerit Parmenides, cum plerique suae aetatis physici ad unum omnia referrent: vidit nimirum, si unum modo poneretur principium, nullam dari rerum varietatem nec generationem nec interitum; ideo duo induxit, quorum mutua actione omnia in rerum natura effice-

([1]) Arist. *Phys.* I. 5. et *Metaph.* I. 5.

([2]) Plut. *Adv. Colot.* p. 1114.

([3]) *Parmen. Carminis reliquiae* p. 222.

([4]) *Parmen.* vs. 129.

rentur. Principia hacc fecit paria inter se et aequalia, utrumque sibi consentiens, alteri oppositum, atque his ambobus mundum totum ita compleri censuit, ut vacui nihil relinqueretur. Elementa ergo patet Parmenidem non intellexisse pondus iners informemque molem, cui forma et actio extrinsecus impertiri debeant, neque etiam formas quasdam corporis expertes, quibus materies extrinsecus suggerenda sit, sed iisdem et semina rerum omnium et species et actionem, vitam animamque contineri censuit, earumque temperie varia corpora corporumque formas et motus effici ([1]). Contraria autem illa elementa ut coalescant et inde oriatur corporum coelestium ordo et infinita rerum varietas omniumque inter se consensio, vim addidit, quam tanquam Deam omnium moderatricem in medio mundi collocavit, quae discordia rerum genera ut marem et feminam consociaret. Alma hacc naturae parens et alios procreavit deos sive naturae vires, ct antiquissimum omnium Amorem, qui in universo dominatur ([2]). Quis hic itcm non agnoscit, quod in animalium generatione obtinet, quae Veneris desiderio in unum compelluntur et Amoris vinculo colligantur? Videamus autem, quodnam huic genitali numini in rerum generatione tribuerit munus. Contrariis elementis quasi connubio jungendis, diversa illa rerum genera, lucidum

([1]) Vid. S. Karst. l. l. p. 228.

([2]) *Parmen.* vss. 127—131.

et opacum, calidum et frigidum, densum et rarum, miscuit inter se varieque temperavit, qua mixtione et temperie tam universum mundum, quam singula, quae in coelo et terra fiant, et olim exstitisse et perpetuo gigni ac sustentari censuit ([1]).

Restat ut enarremus ea quae de humani generis natura Parmenides cecinit, quam partem diligentius quam reliquas tractasse videtur. Exposuit enim de hominum origine, incrementis, corporis animique natura et indole, eaque singula pro suae aetatis ingenio subtiliter exploravit.

De hominum ortu Laërtius ([2]) refert Parmenidi placuisse, *naturae principio hominum genus e sole natum esse*, nimirum quia sol omnia, quae in terris generantur, vi et calore suo excitet et foveat, et quia homo eadem qua sol calidi et frigidi temperie conflatus sit. Caeterum de humanae naturae primordiis similia fere statuit atque Empedocles, qui, ut refert Censorinus ([3]), homines rerum principio ita exstitisse finxit, ut primo membra singula e terra quasi praegnante passim edita, deinde paulatim in unum coierint, et tandem effecerint solidi hominis materiam, igne simul et humore permistam. In hoc tantum differentia inter Parmenidem et Empedoclem poni posse videtur, quod ille minus fabulose artificioseque humanitatis primordia enar-

---

([1]) Vid. *Parm.* vss. 128. sqq.

([2]) Laërt. IX. 22.

([3]) Censor. *De Die Natali.* c. 4.

raverit quam fecit Empedocles, quum ille universe tantum finxisse videatur, primos naturae humanae fetus rudes fuisse et informes, paulatim autem excultos, tandem ad formae humanae perfectionem pervenisse.

Haec sunt, quae de humana natura e Parmenidis sententia accepimus; reliqua ut a nostro proposito aliena omittimus.

§ 3. *De Zenone et Melisso.*

Zeno, item Eleates, teste Platone (1), viginti quinque annis minor natu fuit Parmenide, atque huic intimo amore junctus, unde a nonnullis Parmenides pater ejus adoptivus est habitus. In libro qui, auctore Suida (2), inscribebatur ἐξήγησις τῶν Ἐμπεδοκλέους, physica sua placita explicuisse et, refutatis adversariorum opinionibus, Parmenidis de Uno doctrinae patrocinatus esse videtur, ostendendo, si *multa* statuantur, revera longe absurdiora evenire quam si *Unum* ponatur; ceterum in *unius* sive *entis* definitione concinit fere cum magistro Parmenide (3). Quod autem ad physica attinet, quantum e paucis et obscuris veterum indiciis colligere nobis licet,

---

(1) Plato. *Parmen.* 127. B.

(2) Suidas. s. v. Ζήνων.

(3) Arist. *de Xenoph. Zen. et Gorg.* C. 3.

ad Empedoclem fere accessisse videtur, siquidem et e quatuor principiis rerum naturam constare voluit, calido, frigido, humido et sicco, bene inter se mixtis et temperatis [1] et his caussas moventes addidit, Amorem et Odium [2].

Melissus Samius magis propter placitorum communionem quam propter familiaritatem Eleaticis accensetur [3], siquidem parum probabile est eum Parmenidis auditorem fuisse. Ex ejus libro περὶ φύσεως pauca fragmenta supersunt [4], quibus entis naturam describit, in quo a Parmenide eatenus maxime discrepat, quod ille τὸ ὂν πεπερασμένον, hic vero ἄπειρον facit: unde Aristoteles efficit, Parmenidem magis Unum *formale*, Melissum Unum *materiale* intellexisse, dicens: Παρμενίδης μὲν γὰρ ἔοικε τοῦ κατὰ λόγον ἑνὸς ἅπτεσθαι· Μέλισσος δὲ τοῦ κατὰ τὴν ὕλην. διὸ καὶ ὁ μὲν πεπερασμένον, ὁ δ᾽ ἄπειρόν φησιν εἶναι αὐτό [5]. In physicis quoque parum novi attulit, sed vel ut Parmenides duo elementa, ignem et aquam, vel ut Empedocles quatuor statuisse memoratur [6].

(1) Diog. Laërt. IX. 29.

(2) Stob. *Ecl.* I. p. 60. ed. Heeren.

(3) Diog. Laërt. IX. 24.

(4) Galen. *ad Hipp. libr. de Nat. Hom.* I. ed. Chart. p. 92.

(5) Aristot. *Metaph.* I. 5. Quae distinctio utrum justa sit necne dubitari potest. Cf. S. Karsten. *Parm.* p. 186.

(6) Preller n. 167.

PARS ALTERA.
SECTIO PRIMA.

DOCTRINA HIPPOCRATIS ET HIPPOCRATICORUM DE *NATURA UNIVERSI*, ET PRAECIPUE DE *NATURA HOMINIS.*

> La Philosophie d'Hippocrate est en quelque sorte renfermée dans peu de mots qu'on croirait avoir été tracés par *Bacon:* „Il faut tirer toutes les règles de pratique non d'une suite de raisonnemens antérieurs, mais de l'expérience dirigée par la raison.
>
> De Gérando, *Hist. Comp. des Syst. de phil.* T. I. p. 492. ed. 2.

In disputationis spatio, quod modo percurrimus, egimus de Philosophis et horum placita de natura universi perlustravimus. Jam accedimus ad eum, qui quamquam in hac doctrinae parte non ultimum, immo primum fortasse tenet locum, tamen a nullis fere philosophiae antiquae interpretibus philosophis, qui de universi natura egerunt, accensetur. Quodsi tamen philosophos liberiore sensu eos interpretemur, qui omne tem-

pus studiumque naturae contemplationi devoverunt, quique in corporis humani fabrica consideranda et in admirabili providentia, qua sapientissimus naturae auctor singulas hujus partes formavit atque composuit, declaranda, in caussis indagandis, quibus corporis partes suo quaeque munere fungi impediantur, remediisque inveniendis, quibus impedimenta ista tolli et sua corpori integritas restitui possit, qui in his amplum uberemque nacti sunt investigandi campum, hos si merito philosophos, h. e. sapientiae studiosos, appellare possumus, non video cur iis non accenseatur Cous noster sapiens eodem jure quo Alcmaeon aliique, qui nullius item sectae auctores vel asseclae fuerunt. Assentimur ergo sententiae Cl. viri de Gerando ([1]) haec dicentis: „Loin que, pour lui refuser un rang distingué dans le nombre des philosophes, on puisse se fonder sur ce que ce grand homme recommandait de s'attacher dans l'étude de la médecine plutôt aux expériences qu'aux systêmes et de séparer cette science de la philosophie, c'est précisément en cela qu'il a rendu un éminent service, puisqu'il a contribué à opérer cette division des sciences, qui, à l'époque surtout où il vivait, était si désirable pour les progrès de l'esprit."

Itaque quum in priore hujus speciminis parte philosophorum qui ante Hippocratem vixerunt de

([1]) L. l. p. 490.

universi natura et praecipue de natura humana exposuimus sententias, nunc aggrediemur Hippocratis et Hippocraticorum de iisdem placita exponere, ut inde ad libri Hippocratici de *Natura hominis*, tanquam fontis unde doctrina illa maximam partem haurienda est, explicationem transire possimus. Quum vero in Hippocratica doctrina pars medica, quae practica vocatur, longe praecipuum teneat locum, hanc nos missam faciemus, physiologicam tantum doctrinae partem, qua theoretica nititur medecina, expondituri. Quarum partium ut in hac, quemadmodum vidimus, philosophos duces habuit, ita illam hausit ex iis quas Asclepiadae, templorum sacerdotes, collegerant, morborum historiis. Namque ut in Aegypto ([1]), sic in Graecia ([2]) quoque medendi ars primum in templis a sacerdotibus culta fuit; aegrorum autem, qui illuc consulendi caussa per longam annorum seriem ventitare soliti erant, morborum signa et eventus templorum parietibus inscribebantur, unde nata est observationum sylva, quae empiricas morborum notationes continens, subtilioris investigationis ne vestigia quidem habebat, et a rerum *observatione* et *experientia* tantum erat ducta. Hujus collectionis conspectum Hippocrates nobis in *Praenotionibus Coacis* servavit. Postquam vero

([1]) Diodor. Sicul. L. I. C. 82. p. 92. ed. Wesseling.

([2]) Pausan. L. II. c. 11. VI. 26. VIII. 32. X. 32. Strabo. L. VIII. p. 575. IX. 669. XIV. 971. Ed Almeloveen.

templa reliquerat medicina, transiit ad philosophos, quorum hac in re merita, a *ratione* petita, jam enumeravimus; accessit his tertia medicinae fons, qui tamen ad chirurgicam et diaeteticam partem excolendam maxime pertinuit ([1]). In gymnasiis nempe, ubi corpora palaestrâ exercebantur, paedotribae et vulnera gymnasticis exercitationibus facta medebantur et diaetae praeceptis corporis infirmitates curabant. Quorum opificium ad artis rationem excultum est maxime ab Herodico Selymbriano qui gymnasticam artem cum medicina copulavit ([2]). Eo igitur pervenerat ars medica, quum exortus est Hippocrates, qui inchoata auxit et excoluit, obscura illustravit et ita ad artem salutarem adhibuit, ut haec ab eo inde tempore magis disciplinae formam adipisceretur. Itaque in his etiam valet veteris illud poëtae dictum:

> Non simul humano generi Di cuncta dedere,
> Monstravit sed longa dies meliora repertis.

§ 1. *De Hippocratis vita et studiis.*

Ad Hippocratis vitam cognoscendam quosnam prius consulamus testes, quam qui ipsi aequales aut suppares fuerunt? Quorum etsi plerique

---

([1]) Hippocr. *de Locis in Homine.* p. 391. Ed Linden. Tim. Locr. *de Anim. Mundi.* p. 564. in Gale Opusc. Mythol.

([2]) Memoratur saepius a Platone: Cf. Groen van Prinsterer, *Prosop. Plat.* p. 193, 195. Ast. ad *Platon. Phaedr.* p. 227. D. *De Rep.* III. p. 406. A. B.

nobis perierunt, unius tamen et gravissimi auctoris, Platonis, duo nobis supersunt magni momenti testimonia, quorum alterum in *Protagora* (1), alterum in *Phaedro* (2) exstat. Horum e priore loco patet, Hippocratem Socratis temporibus medicum in insula Co fuisse, ex Asclepiadarum familia, eundemque mercede doctrinam suam aliis tradidisse; tantam autem ejus fuisse gloriam, ut, sicut Phidias et Polycletus inter statuarios, Protagoras inter sophistas, ita ipse inter medicos principatum teneret ejusque nomen per Graeciam celebratum esset. Ex altero quem attulimus Platonis loco patet, Hippocratis scripta maximae fuisse auctoritatis, ut Plato ex iis sententias mutuari non vereretur (3). Haec testimonia si conferantur cum indiciis biographorum, qui multis saeculis post eum vixerunt, et partim ex antiquioribus fontibus, partim e traditionibus hauserunt, quales sunt Soranus, Suidas et Tzetzes, inde satis tuto statuere nobis licet, Hippocratem circa annum I Ol. LXXX, a. Ch. 460, e patre Heraclide natum esse. Hippocratis quam nobis servavit genealogiam Ttetzes, qua genus illius a Podalirio, belli Trojani chirurgo, atque hinc ab Aesculapio et Hercule deducitur, fictam esse quis dubitet? Filios autem habuisse videtur Thessalum et Draconem et generum Po-

(1) 311. B.

(2) 270. C.

(3) Cf. Groen van Prinsterer. *Prosop. Plat.* p. 193.

lybum [1], quibus multi eorum, qui Hippocratis nomine proditi sunt libri, tribuendi videntur. Larissae, Thessaliae urbe, mortuus esse fertur, natu admodum grandis; alii eum anno aetatis octogesimo quinto vel nonagesimo, alii centenario majorem obiisse narrant. Inter magistros memorantur pater Heraclides, Herodicus Selymbrianus [2], Democritus Abderites et Gorgias Leontinus, quibus a nonnullis minus recte accensetur Heraclitus Ephesius propter multorum placitorum, quae in nonnullis Hippocraticis libris occurrunt, cum Heracliti placitis convenientiam; at isti Hippocraticos libros spurios a germanis non distinxerunt.

§ 2. *De doctrina Hippocratica.*

Jam ad eam disputationem aggredimur, quae, quamquam ob magnam librorum Hippocraticorum copiam facillima videatur, longe tamen difficillima est habenda. Ambiguum enim, quamnam germanam judicemus Hippocratis doctrinam, quum in illa librorum sylva plures sententiae et rationes plane a se invicem diversae nobis occurrant. De hoc igitur breviter monendum. Sex diversas do-

---

(1) Soran. *Hippoc. genus et vita.*

(2) *Herodicus* vero ille in *Hippocr. Epid.* VI. 3. (Galen. Comm. T. V. p. 488 ed. Chart.). pulcre carpitur: ὡς τοὺς πυρεταίνοντες ἔκτεινε δρόμοισι etc.

ctrinae rationes in Hippocraticis scriptis propositas distinguit H. F. Link (1). Earum prima continetur his libris,

Epidemiorum I et III.

De Aëre, Aquis et Locis.

Prognostici.

Prorrheticôn.

Coacarum Praenotionum.

Aphorismorum.

De Acutorum Diaeta.

In his auctor *bilem* (χολὴν) et *pituitam* (φλέγμα) omnium in corpore fluidorum facit elementa, quae si juste inter se mixta sint, sanitatem efficiant, sin unum praevaleat, morbi nascantur, acuti, si in bile, chronici, si in pituita vitium haereat. Haec doctrina testibus Aristotele et aliis (2) jam vetustissima est.

Altera ratio exponitur in libris.

De Natura Hominis.

De Generatione.

De Natura Pueri.

De Salubri Diaeta.

De Victus Ratione, excepto *L. I.*

---

(1) H. F. Link, *Ueber die Theoriën in den Hippokratischen schriften.* Abhand. d. K. Akad. d. Wiss. in Berlin 1814—1815. p. 231—240.

(2) Vid. Arist. *Phys.* II. 3. Thucyd. II. 49. ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσίν. Plat. *Timaeus* p. 83. B.

De Alimento.

De Affectionibus Internis.

De Morbis Mulierum.

De Natura Mulieris.

De Morbo Sacro.

De Virginum Morbis.

De Visu.

De Ulceribus.

De Haemorrhoïdibus.

De Fistulis.

In his quatuor humores, *sanguis*, *pituita*, *bilis nigra* et *bilis flava*, et quatuor qualitates primariae, *calidum*, *frigidum*, *siccum* et *humidum*, tanquam corporis elementa habentur.

Secundum tertiam doctrinam, quam liber *de Antiqua Medicina* complectitur, morbi oriuntur ex intemperata mixtione *amari*, *dulcis*, *acris*, *acerbi*, cet.

Ad quartam doctrinam, quam ab Heraclito profectam esse statuit Link (1), quandoquidem in ea *ignis* omnium rerum, item corporum, est principium, referendi sunt

De Victus Ratione L. I., et

L. de Carnibus, tum reliquorum librorum nonnulla loca (2).

---

(1) Link. l. l. p. 238.

(2) V. c. *Aph.* I. 14. Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμὸν, πλείστης οὖν δέεται τροφῆς· εἰ δὲ μὴ, τὸ

Quinta doctrina, quae est de *flatu* sive *spiritu* (περὶ πνεύματος), continetur libris

De Flatibus et

De Natura Ossium.

Haec omne morborum vitium ponit in spiritu, qui ructus ac flatus gignit, si in corpore major quam par est ejus quantitas includitur, et, quia corporis partes sanguine abundantes refrigerat, simul horroris febrilis caussa est habenda. Hiatus porro, febrium prodromi, explicantur e spiritu accumulato, per oris aperturam exeunte. Quodsi vero spiritus in corporis πόρους penetret et ibi in aquam condensetur, sudores oriuntur. Ex hac πνεύματος doctrina omnium morborum caussa eadem est, locus tantum differt: τῶν δὲ δὴ νούσων ἁπασέων ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτὸς, ὁ δὲ τόπος διαφέρει. — φαίνονται οὖν αἱ φῦσαι (πνεύματα) δὴ πάντων τουτέων (νουσημάτων) πολυτροπώτεραι αἰτίαι οὖσαι ([1]).

Sexta tandem, quae de *fluctibus* (ῥόοις) est, doctrina morbos ab una corporis parte ad reliquas profluentes facit, a cerebro initium facientes ([2]).

σῶμα ἀναλίσκεται· γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμὸν· διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται· ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες· ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα. Ex quo loco simul apparet, quomodo ad illam doctrinam pervenerint antiqui et quid igne intellexerint.

([1]) *De Flat.* c. 2. Ed. Mackii. I. p. 341.

([2]) Doctrinas de *Flatibus* et *Fluctibus* spectat Plato,

Exponitur haec in libris
De Locis in Homine et
De Glandulis.

Antiqua sane illa est et simplicissima, quae adhuc nostris temporibus apud vulgus et artis imperitos valet.

Harum doctrinarum quaecumque vere Hippocratica sit, de omnibus valet esse valde imperfectas et infantiam physiologiae referre, quod praesertim ab exigua anatomiae peritia veterum et Hippocratis deducendum est: physiologia enim sine subtiliore anatomiae scientia existere nequit; unde factum est ut magis excelluerit Hippocrates in iis medicinae partibus, quae minori anatomiae cognitione indigent, quam quae diligentiore humani corporis fabricae notione nituntur. Sex autem illarum doctrinarum quas memoravimus plerique tam antiqui (1) quam recentiores secundam Hippocrati tribuere, qua sententia et nos lubenter acquiescimus, quum in plerisque libris Hippocraticis, tam germanis quam spuriis, ejus vestigia clarius

---

Rep. III. c. 14, 405. D. τὸ δὲ ἰατρικῆς, ἦν δ᾽ ἐγώ, δεῖσθαι ὅ τι μὴ τραυμάτων ἕνεκα ἤ τινων ἐπετείων νοσημάτων ἐπιπεσόντων, ἀλλὰ δι᾽ ἀργίαν τε καὶ δίαιταν, οἵαν διήλθομεν, ῥευμάτων τε καὶ π ν ε υ μ ά τ ω ν ὥσπερ λίμνας ἐμπιπλαμένους φύσας τε καὶ κ α τ ά ῤ ῥ ο υ ς νοσήμασιν ὀνόματα τίθεσθαι ἀναγκάζειν τοὺς κομψοὺς Ἀσκληπιάδας, οὐκ αἰσχρὸν δοκεῖ;

(1) Galen. *Comm.* I. *in libr. de Nat. Hom.* p. 11. *De Elem. sec. Hipp.* L. I. p. 44. et *de Plac. Hipp. et Plat.* L. VIII.

vel obscurius cernantur. Inventorem hujus doctrinae Hippocratem facit Galenus [1], dicens: πρῶτος γὰρ οὗτος ἁπάντων ὧν ἴσμεν ἰατρῶν τε καὶ φιλοσόφων ἀποδεικνύειν ἐπεχείρησε, τέτταρας εἶναι τὰς πάσας δραστικὰς εἰς ἀλλήλας ποιότητας, ὑφ᾽ ὧν γίνεται τε καὶ φθείρεται πάνθ᾽ ὅσα γένεσιν τε καὶ φθορὰν ἐπιδέχεται. Quamquam vero ei assentimur Hippocratem primum fuisse qui quatuor illas ποιότητας conjunctas statueret, animadvertendum tamen, jam ante illum multos, ut supra vidimus, Alcmaeonem, Anaximenem, Parmenidem, Anaxagoram, Empedoclem, Diogenem Apolloniatem, varias qualitates adscivisse. Non adstipulamur igitur Linkio [2] statuenti, omnia Hippocratica scripta in quibus haec doctrina exponatur, Aristotelis aetate posteriora esse censenda.

Caeterum de illa qualitatum doctrina luculenter existimat eruditissimus Hippocratis interpres, E. Littré [3], cujus verba quamvis longiora hic describere juvat: „Les qualités, les noms qu'on leur a donnés, les rôles qu'on leur a attribués, auront paru peut-être obscurs au lecteur, qui n'y aura vu que des idées vagues, sans aucun fondement réel dans l'observation. Les théories tombées en désuétude, si on les prend ainsi du côté de leur erreur, n'ont aucun intérêt; mais, si on

---

[1] Galen. *De Natur. Facult.* L. I. p. 87.

[2] Link. l. l. p. 238.

[3] E. Littré. In Introd. ad libr. cui titulus. *Oeuvres complètes d'Hippocrate*, p. 69. Ed. Bruxell. 1841.

les prend du côté de leur vérité, elles méritent de l'attention, et elles donnent de l'instruction; car elles montrent comment, à une certaine époque, l'esprit humain a essayé de résoudre l'éternel problème qui lui est proposé. Les qualités, au moins en physiologie, sont une des solutions de la constitution du corps vivant. Les anciens virent, comme les modernes, que le corps est composé d'éléments médiats et immédiats. Les éléments médiats furent le feu, l'air, l'eau et la terre, comme ils sont, de notre temps, l'oxigène, l'hydrogène, le carbone, et les autres substances indécomposées que la chimie a découvertes. Les éléments immédiats furent le sang, le phlegme, la bile noir, la bile jaune, ou le chaud, le froid, le sec et l'humide, ou l'amer, le doux, le salé, etc., suivant que l'on considérait plus particulièrement les éléments immédiats dans leurs rapports avec les quatre éléments ou dans leurs qualités diverses. De telle sorte que la conception des humeurs radicales ou des qualités est une idée véritable qui suppose le corps constitué des mêmes éléments que le reste des choses, et une hypothèse qui cherche à expliquer pourquoi ces éléments primitifs ne s'y montrent pas en nature."

Haec autem ratio, ut videbimus, optime exposita est in libro de *Natura Hominis*, quem tractandum nobis proposuimus; inde vero argumentum capere nolumus, Hippocratem ipsum hujus libri esse auctorem; qua de re quid statuendum sit,

in sectione sequenti exponere conabimur; hoc loco sufficiat libri argumentum paucis absolvere.

Initio libri scriptor refutat philosophorum et medicorum sententiam, omnia ex uno orta esse; fieri enim non posse, ut corpora, praesertim hominum, a solo igne vel aqua vel terra, neque magis solo e sanguine vel pituita vel bile atra vel flavâ originem duxerint, quoniam, si ita res se haberet, non doleret corpus, quippe non foret aliquid unde doleret; si vero doleret, nihil foret unde sanaretur. Porro si unum statuatur, generationem fieri non posse: generationem enim esse mixtionem duorum elementorum: itaqne corpora constare probat ex igne, aqua, aëre et terra; corpus autem humanum e sanguine, pituita, bile atra et bile flava, quorum quatuor generum justa temperies sanitatem, turbata vero morbos pariat. Horum humorum in singulis singuli quavis anni tempestate praevalent, vere sanguis, aestate bilis flava, autumno bilis atra, hyeme pituita; eodem modo atque in anno nunc ver maxime viget, nunc aestas, modo autumnus, modo hyems. Itaque quivis quoque morbi tempestate ipsis congrua augescunt; quicunque vero morbus suam tempestatem transgressus fuerit, eum annuum fore tenendum est. Differre autem quatuor humores qualitatibus primis: sanguinem enim esse calidum et humidum, pituitam humidam et fri-

gidam, nigram bilem frigidam et siccam, flavam denique calidam et siccam; atque harum qualitatum differentiam inde probari, quod opposita anni tempora morbos sanent. Medicum ergo oportere sic morbis medicari, prout unumquodque illorum elementorum in corpore praevaleat, juxta tempus, quod ipsi natura maxime conveniens sit.

SECTIO SECUNDA.

DE SCRIPTIS HIPPOCRATICIS ET LIBRO DE NATURA HOMINIS.

Ingentem librorum, qui Hippocratis nomine circumferuntur, seriem inspicientibus jam statim dubitatio oritur, num ista omnia uni auctori tribui possint: quae dubitatio magnopere increscit, si reputemus tantam esse et rerum quae ibi tractantur diversitatem et tam variam scribendi rationem, ut vix ac ne vix quidem credibile sit ab uno auctore omnia haec profecta esse. Horum autem quaenam Hippocrati, quae aliis auctoribus tribuenda sint, dijudicare admodum difficile est, tum ob testimoniorum penuriam, tum propter ipsorum librorum variam naturam et conditionem: nam alii eorum elaborata continent argumenta, alii breves tantum complectuntur animadversiones, diversi saepe argumenti, in unum librum collectis, quod jam antiquissimos e schola Alexandrina Hippocraticorum librorum interpretes, Erasistratum et Herophilum, non fugit. Quid igitur nobis agendum, quibus scripta illa minus etiam integra supersunt quam illis, qui quinquaginta et centum modo

annis post Hippocratem vixerunt. Praeterea multa alia sunt quae dubitationem nostram augent. Citantur interdum ab Hippocratis aequalibus fragmenta quae in Hippocraticornm operum collectione exstant, a veteribus vero alii cuidam tribuuntur auctori, cujusmodi est descriptio venarum, quae in omnibus editionibus libro de Natura Hominis juncta Hippocrati attribui solet, ab Aristotele ([1]) vero Polybo, Hippocrati aetate proximo, tribuitur; in his ergo Aristoteli major fides habenda quam Erotiano aliisve, qui fragmentum istud Hippocrati tribuerunt. Praeterea non raro in aliis libris probantur quae in aliis refutantur, velut quae in libro de *Affectionibus internis* de renum morbis dicuntur. Hujus libri auctor vulgus medicorum inscitiae culpat, quod arenam videntes per urinam evacuatam, credant vesicam calculo laborare, quum tamen in eo casu non vesica, sed ren hoc vitio laboret; at in *Aphor.* IV. 79, de eodem morbo contraria fertur sententia: quibus enim in urina partes arenosae subsidant, his vesicam calculo laborare, hujus aphorismi auctor statuit. Ambas ergo has contrarias sententias, quales in Hippocratica collectione multae inveniuntur, eidem auctori tribui vix posse, quisque facile agnoscat. Sunt vero etiam inter libros illos nonnulli, qui, *quamvis non referant Hippocratici sermonis colorem*, tamen *Hippocraticam referunt sententiam*

([1]) Arist. *Hist. Anim.* III. 4, ubi haec venarum descriptio ad verbum expressa legitur.

et doctrinam: de quibus suspicari licet, eos *ex Hippocratis dictis vel commentariis*, qualia *hypomnemata* dicuntur, *natos*, *post illius mortem a discipulis*, Polybo, Diocle, Praxagora aliisve, *in libri formam esse redactos*. Ex his omnibus illud etiam satis apparet, ordinem, quo Hippocratica ad nos pervenerunt scripta, posterioris, Alexandrinae nimirum scholae, esse aetatis et parvi ac nullius fere pretii nobis esse habendum.

In tanta rerum obscuritate una tantum nobis patet via, quam in libri alicujus Hippocratici auctoritate et fide examinanda sequi possimus, ut eorum librorum, qui omnium ab antiquissimis inde temporibus interpretum consensu Hippocrati tributi sunt, notas diligenter colligemus et inde formam quandam velut τύπον effingamus, ad quam librum, de quo dubitetur, exigamus. Hanc viam ut in libro de Natura Hominis judicando sequamur, germanorum Hippocratis librorum notas paucis adumbrabimus. Quum vero, ut recte animadvertit Chr. Petersen [1], „duplex sit genus argumentorum quibus utitur crisis, unum *externorum*, quae ostendunt quid lucis his libris dijudicandis impertiantur *reliqua antiquitatis monumenta*, alterum *internorum*, quae ex *ipsorum librorum conditione et discrimine* petuntur," singulae hae partes seorsim nobis tangendae erunt: primum igitur indagandum, quid lucis reliqua an-

[1] Chr. Petersen. *Hippocratis nomine quae circumferuntur scripta ad temporum rationes disposita*. P. I, p. 3. Hamb. 1839.

tiquitatis monumenta sive aequalium sive paulo recentiorum libro de Natura Hominis afferant, quorum quamvis exiguus sit numerus, duo tamen exstant quae ad dignoscendam Hippocraticam doctrinam maximi sunt momenti: in Platonis enim et Aristotelis operibus hujus doctrina passim spectatur, quamquam in priore tantum ipsum Hippocratis nomen additur ([1]). Universe autem animadvertendum, magnam cerni veluti cognationem inter Hippocraticam atque Socraticam et Platonicam methodum, quam eleganter adumbrat Cl. Pruys van der Hoeven ([2]): „Idem, inquit, in utroque veri cujusque et simplicis sensus, utilitatis studium, sapientiae amor. Eundem ad finem, id est, τὴν ἐπιστήμην τοῦ βελτίστου, utriusque tendebat disciplina, eadem observationis inductionisque via. Invisa utrique inanis Sophistarum jactantia, simile systematis odium; utque Socratica ratio *quaerendo* sapientiam hominemque *explorando* procedebat, ita *observando* et naturam humanam *investigando*

([1]) De pretio quod habeant Platonis dialogorum nonnulli ad dijudicandam Hippocraticam doctrinam vidd. Dr. F. S. Meixner, *Neue Prüfung der Echtheit und Reihenfolge sämmtlicher Schriften Hippokrates des Grossen.* I. 2. enthaltend: die ausführliche Darstellung und Auslegung des Platonischen Bruchstückes über den Hippokrates, als *einzig sichere, geschichtlich gewisse Grundlage* zur Herstellung der Echtheit und Reihenfolge sämmtlicher Schriften desselben, a. 1837. tum et Lichtenstädt: *Platons Lehren auf dem Gebiete der Naturforschung und der Heilkunde.*

([2]) Cl. Pruys v. d. Hoeven. Praef. *Chrestom. Hippocr.* p. 4. Hag. Com. 1824.

Hippocratica, cujus quippe auctor non systema quoddam condere moliebatur, ac si inventa jam esset medicina, verum observare malebat, tanquam spe ductus fore ut medendi scientiam reperiret sibique compararet. Quare Socratis philosophia, id quod ipsa vox declarat, *sapientiae amor* vocanda est, Hippocratis vero medicina *observandi studium*."

Jam inter Platonis dialogos unus est, in quo nominatim doctrinam Hippocraticam tangit; in Phaedro haec leguntur: ΣΩ. Ψυχῆς οὖν φύσιν ἀξίως λόγου κατανοῆσαι οἴει δυνατὸν εἶναι ἄνευ τῆς τοῦ ὅλου φύσεως; ΦΑΙ. Εἰ μὲν Ἱπποκράτει γε τῷ τῶν Ἀσκληπιαδῶν δεῖ τι πείθεσθαι, οὐδὲ περὶ σώματος ἄνευ τῆς μεθόδου ταύτης. Σ. Καλῶς γάρ, ὦ ἑταῖρε, λέγει. χρὴ μέντοι πρὸς τῷ Ἱπποκράτει τὸν λόγον ἐξετάζοντα σκοπεῖν, εἰ συμφωνεῖ. Φ. Φημί. Σ. Τὸ τοίνυν περὶ φύσεως σκόπει, τί ποτε λέγει Ἱπποκράτης τε καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος; ἆρ᾽ οὐχ ὧδε δεῖ διανοεῖσθαι περὶ ὁτουοῦν φύσεως; πρῶτον μέν, ἁπλοῦν ἢ πολυειδές ἐστιν οὗ πέρι βουλησόμεθα εἶναι αὐτοὶ τεχνικοὶ καὶ ἄλλον δυνατοὶ ποιεῖν, ἔπειτα δέ, ἐὰν μὲν ἁπλοῦν ᾖ, σκοπεῖν τὴν δύναμιν αὐτοῦ, τίνα πρὸς τί πέφυκεν εἰς τὸ δρᾶν ἔχον ἢ τίνα εἰς τὸ παθεῖν ὑπὸ του; ἐὰν δὲ πλείω εἴδη ἔχῃ, ταῦτα ἀριθμησάμενος, ὅπερ ἐφ᾽ ἑνός, τοῦτ᾽ ἰδεῖν ἐφ᾽ ἑκάστου, τῷ τί ποιεῖν αὐτὸ πέφυκεν ἢ τῷ τί παθεῖν ὑπὸ του (1); In hoc Phaedri

(1) Plato. *Phaedr.* p. 270. C. D.

loco multi antiquiorum Hippocratis interpretum (1) perperam argumentum sibi reperire visi sunt ad librum de Natura Hominis illi vindicandum, in nullo quippe alio libro Hippocratem hanc methodum secutum esse rati, nisi in illo de Natura Hominis; nec melius recentiorum nonnulli (2) viderunt, putantes librum, quem spectet Plato, jam ante Galeni tempora periisse. Hujus dissensionis caussa inde repetenda videtur, quod interpretes fontes non bene inter se comparaverint, et Phaedri locum, quem non satis intellexissent, parum attenderint: unde etiam explicandum est, cur plerique Hippocraticae doctrinae indagatores eam pathologia tantum contineri statuerint, physiologicam vero partem in ea inveniri negarunt (3). Itaque in quaestione, quatenus Hippocrati tribuenda sit physiologica doctrina quae in libro de Natura Hominis exposita est, Phaedri ille locus magni est momenti, quocirca ex hoc Platonis quasi quodam augusto fonte, ut cum Cicerone loquar, nostra omnis hac de re manabit oratio.

---

(1) Imprimis Galenus: *Prooem. ad Comm. I. in libr. Hipp. de Nat. Hom.* Ed. Chart. III. p. 94, ubi omnes medicos, praeter paucos quosdam, persuasum sibi habere ait, Hippocrati tribuendum esse librum de Nat. Hom., quem nec Plato ipse ignoraret, probante Phaedri loco, ubi memorari sententiam Hippocratis, quae in nullo alio nisi de Nat. Hom. libro inveniatur.

(2) Imprimis Kurt Sprengel, *Versuch einer pragm. Gesch. d. Arzn.* I. p. 384. Ed. 2. a. 1800.

(3) Cf. Fr. S. Meixner: l. l. I. 1. praef. p. X.

Plato igitur Socratem inducit e Phaedro quaerentem, num *animi natura* sine *natura universi* recte cognosci possit? cui Phaedrus respondet, ex Hippocratis sententia ne *corporis* quidem *naturam* recte intelligi posse sine hac methodo. Jam Hippocraticos adeuntibus libros in multis patet auctorem hanc rationem sequi, quum in aliis ne vestigia quidem ejus inveniantur. Ex illis talem nobis informare Hippocratem possumus, qui, „ quam animo sibi informasset naturae humanae historiam, ita persecutus sit, ut non tantum quid a morbo distaret sanitas, observando, comparando atque analogiae ratione adhibenda indagaverit; verum etiam, quae esset hominis valetudo sive secunda sive adversa, qua aetate, quo sexu, qua corporis temperie, quo vitae genere, quo loco, quo anni tempore, quaesiverit, omnesque et sanitatis et morborum investigaverit diversitates. Quippe alia est puerorum, alia senum sanitas; alia virorum, alia feminarum; alii sunt pueritiae morbi, alii senectutis; alii hyemales, alii aestivi; alii Europaeorum, Asiaticorum alii. Quae cunctis communia, quae singulis propria, notavit; cum aetatibus anni tempora comparavit, cum anni temporibus regiones, cum hominibus singulis gentes universas, cum civitatibus denique ipsas orbis terrarum oras; sicque universales indicavit leges, quas rebus cunctis natura dixerit. Hac itaque tam praeclara methodo *Physiologia* quaedam atque *Pathologia* exstitit *comparata*, quae vera et *Physiologia* et *Patho-*

logia dici potest ([1])." En habes Hippocraticae methodi justam imaginem, quam e magnae Hippocraticorum librorum sylvae parco numero expressit severissimus Hippocratis interpres; unde illud simul apparet, quamvis severo judicio scripta illius germana a spuriis distinguantur, Hippocrati tamen denegari non posse veram illam doctrinam physiologicam, hoc est *comparatam* sive *universalem*, quae τῆς τοῦ ὅλου φύσεως cognitionem requirit; quod vero parum exactae atque rudes essent istae notiones, hujus rei caussa e Senecae verbis, quae in dissertationis fronte collocavimus, deducenda est.

Sed redeamus ad Phaedri locum, ut primum indagemus, num Plato Hippocratis librum eo loco spectet an illius tantum sententiam memoret. Socratis verba apud Platonem: καλῶς γάρ, ὦ ἑταῖρε, λέγει, plurimos fefellerunt, quum illud λέγειν perperam de scripto tantum intelligi posse crederent, quum aeque de dicto vel sermone usurpari possit: *recte dicit*, *pulcre monet*. Similiter in dialogi exordio, ubi Phaedrus Acumeni medici praeceptum memorat, ambulationes in viis apertis salubriores esse quam in locis tectis, iisdem verbis Socrates respondet: καλῶς γάρ, ὦ ἑταῖρε, λέγει ([2]), *recte monet*, *amice*. Itaque nostro etiam loco non significari videtur liber Hippocratis, sed sen-

---

([1]) Cl. Pruys v. d. Hoeven, l. l. p. 14.
([2]) Plat. *Phaedr.* p. 227. B.

tentia tantum vel placitum, nulla ratione habita libri in quo exposita sit, cui assentitur Socrates; quocirca nulla ratione inde effici potest, Platoni haec scribenti librum de Natura Hominis ob oculos fuisse.

Videamus porro, num quod ad doctrinam attinet Phaedri locus libro de Natura Hominis aliquid lucis afferat, hoc est, num hujus libri scriptor eandem, quam Hippocrati Plato tribuit, methodum sit secutus et ad indagationem τῆς τοῦ σώματος φύσεως simul τῆς τοῦ ὅλου φύσεως cognitionem adhibuerit.

Quodnam sit libri argumentum jam superius exposuimus; hic igitur ea tantum loca notasse sufficiat, quae ad τὴν τοῦ ὅλου φύσιν pertinent. Jam statim initio libri auctor philosophorum et medicorum de universi et de corporis natura sententias refutat, et ostensurum se pollicetur ea, quibus hominis natura constet, semper eadem esse. Generationem porro et interitum animalium cum universae naturae rerum generatione et interitu, remediorum in corpus aegrum actionem comparat cum ratione qua plantae alimentum e terra hauriunt. Tandem universae naturae vinculum his verbis expressit: *οὐ γὰρ ἂν μείνειε τουτέων οὐδὲν οὐδένα χρόνον ἄνευ πάντων τῶν ἐνεόντων ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ, ἀλλ' εἰ ἕν τι ἐκλίποι, πάντ' ἂν ἀφανισθείη* (1). Jam haec satis indi-

(1) Vid. Lib. *de Natura Hominis*, sub finem.

cant, libri nostri auctorem in corporis humani indagatione eam methodum secutum esse quam in Phaedro Hippocrati tribuit Plato. Itaque etsi ipsum quidem librum de Natura Hominis Plato non memoraverit, methodum tamen, quam ille Hippocrati tribuit, tum in aliis Hippocraticis libris ([1]) tum in hoc de Natura Hominis exstare, jure statui posse arbitramur.

Jam ad alteram probationis partem, quae e librorum Hippocraticorum *conditione* et *discrimine*

([1]) Praeclare invenitur in libro de *Veter. Medic.* C. XI. S. I. p. 31. Ed. St. Mackii a. 1743, ubi haec leguntur: Λέγουσι δέ τινες καὶ ἰητροὶ καὶ σοφισταὶ, ὡς οὐκ ἔστι δυνατὸν ἰητρικὴν εἰδέναι, ὅςις μὴ οἶδεν ὅ τί ἐστιν ἄνθρωπος καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον καὶ ὅπως συνεπάγη. Ἐγὼ δὲ, τουτέων μὲν ὅσα τινὶ εἴρηται σοφιστῇ ἢ ἰητρῷ ἢ γέγραπται περὶ φύσιος, ἧσσον νομίζω τῇ ἰητρικῇ τέχνῃ προσήκειν ἢ τῇ γραφικῇ. Νομίζω δὲ, ὅτι περὶ φύσιος γνῶναί τι σαφὲς οὐδαμόθεν ἄλλοθεν ἔσται ἢ ἐξ ἰητρικῆς. Τοῦτο δὲ οἷον τε καταμαθεῖν, ὅταν αὐτήν τις τὴν ἰητρικὴν ὀρθῶς πᾶσαν περιλάβῃ. Μέχρι δὲ τουτέου πολλούς μοι δοκέει ἰδεῖν, λέγω δὲ τὴν ἱστορίην ταύτην εἰδέναι ἄνθρωπος τί ἐστι καὶ δι' οἵας αἰτίας γίνεται καὶ τἄλλα ἀκριβέως, ἐπεί τοι γέ μοι δοκέει ἀναγκαῖον εἶναι παντὶ ἰητρῷ περὶ φύσιος εἰδέναι, καὶ πάνυ σπουδάσαι ὡς εἴσεται, εἴπέρ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν, ὅ τί ἐστιν ἄνθρωπος, πρὸς τὰ ἐσθιόμενα καὶ πινόμενα, καὶ ὅ τι ἀφ' ἑκάστου ἑκάστῳ συμβήσεται. Quo loco in indagatione corporis humani ab universi indagatione incipiendum esse praecipit hujus libri auctor. Ex Phaedri loco memorato cum hoc *Veteris Medicinae* loco collato, hunc librum germanum Hippocraticum esse collegit erud. E. Littré l.l. p. 110.

